


Sed his tam sibi non constantibus, quid facias? Verum et quomodo, se se invicem rapere orbis possent, considerare debuerunt. Aiunt octavam sphæram, naturali motu suo diurno ab ortu ad occasum rapere, secum orbis planetarum omnes, qui in contrarium nitantur ab occasu in ortum. Naturali motui, non alius contrarius est; quam violentus. At violentorum motuum, Aristoteles quatuor fecit genera, tractionem, vectionem, pulsionem, proiectionem. Si raptus hic, nullus horum sit, quintum violenti motus genus erit. Si e quatuor sit, proiectio quidem non est. Neque impulsio. Qui enim impellit, a se repellit, non secum defert. Tractio vero si dicatur, et trahens, et tractum ansas habeat oportet, quibus tractoria in strumenta accommodentur, qua trahant. At nullæ ansæ, nulla tractoria, vel trahenti cœlo, vel tractis cœlis, a natura tributa. Omnes eis prominentias, et Plato, et Aristoteles negarunt. Ergo neque octavus orbis inferiores trahere potest, neque hi ab eo trahi queunt. Restat, si e quatuor sit aliquis, ut sit vectatio. Qui vehit, vel super se ut equitem, vel inira se, ut navis merces vehit. Horum prior cœlo non dabitur. Dabitur secundus, quia octavum, intra se reliquos continet. At nullis vel vector, vel recti præditi sunt prominentiis, vel ansis, ut eis vehi, vel queant vehere. Raptus ergo hic quintus aliquis erit motus, adhuc ignotus, et nondum ab eius celebratoribus explicatus. Donec eam explicent, nos eum, ut falsum, ererum natura, e philosophia detrudemus, reducturi si quando explicabitur. Violentiam tamen semper sentiet, eamque non perpetuam. Si igitur nullus est i cœlo raptus, et rationes nostræ cæteræ, et veritati, et sibi consent, nulli orbis, seu rapti, seu raptores erunt in cœlo. Corpus ergo continuum et unum, est ipsum cœlum, ipse æther. Neque ullis superficiebus, vel concavis, vel connexis est divisus.

At inquierent, saltem ætheris regio, in qua luna habitat, concavam ad nos habet superficiæ. Nam et visus, id conspicere videtur, quando sereno ære, in cœlum suspicimus. Id si ita est, qui eo loci, cœlo fecit superficiem, is idem eidem cœlo fecit in summo superficiem convexam, et Empyreo concavam. Et intra eas, in orbis divisit cœlum. Sed cœlum, versus nos cur fornicatum, et cameratum appareat, causam ante diximus. Ab oculo enim nostro, tam quam a centro, visuales vel radios, vel lineas exire, et quaquaversus, recta extendantur æquales esse, vel incurventur post aliquod spacium, vel non incurventur. Eadem fornices figura eadem de causa, nobis apparet in nubibus, quando toti cœlo sunt obductæ, imo Horizonte, circum latera, in summo vertice. Quæ autem causa fuerit probabilis, ut nubes in cameram vere formentur? Apparentia est hæc, et non vera fornix, non vera cœli, aut nubium concava superficies. Tot enim fornices, tum in cœlo, tum in nubibus formantur, quot, oculi, paulo inter se distantes, et sursum suspiciant, et circumcirca, visum voluunt. Figuris res fiet manifestior subiectis. Sunt quinque oculi in plano eodem, modicum inter se distantes, ut in sequenti apparet.



Quinque profecto fornices sibi quisque suam efformabit. Qua ex re, falsi sunt Astronomi dum affirmant, e quocumque loco, hæmisphærium cœli conspici. Quemque locum, suum habere Horizontem, nec non meridianum. Et punctum verticalem. Hæc omnia namque ad fornices oculi cuiusque, et non ad cœlum referuntur. Nam si cœlum fornicatum esset, unicam haberet fornecem. Quod si esset, non omnes lineæ, a cuiusque oculi protractæ ad fornecem essent æquales. Quæ res hoc alio manifesta fit exemplo. Unius fornices, oculorum plurium.